Lelenensis Joannis: Μικροφύσις seu universa scientia naturalis in compendio ad genium philosophorum principis Aristotelis assertionibus distincta.

ΜΙΚΡΟΦΥΣΙΣ

SEV

VNIVERSA SCIENTIA NATVRALIS,

In compendio

Ad Genium Philoſophorum Principis Ariſtotelis Aſſertionibus diſtincta:

QVÆ

Per IOANNEM ZIELENIEWICZ, *Curſus Philoſophici; & I. V. in Celeberrima Vniuerſitate Cracouienſi auditorem,*

Præſidente

Excell: M. STANISLAO WIECZORKOWSKI, *Coll: Maiore, Eccleſiæ Collegiatæ S. Annæ Canonico, Interim Vladiſlauiano Profeſſore,*

Communi aleæ exponitur

In Auguſtâ D. Iagellonis Aulâ;

Anno 1646. Die 13. Iulij, Hora 18.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.

u.

IN CORONATVM FIRLEORVM LEOPARDVM.



MArtis vt in circo fortiſſima facta Polonûm
Præripit, inquè togâ FIRLEIANA domus:
Gloria pro meritis en dat diadema coruſcum
Quo pardus, Leo iam, pulchra trophæa refert.
Herois virtuſque polum, famamque perennem
Prendit, & innumeras vincit Olympiadas.

Illustri & Magnifico Domino,

D. STANISLAO

A

DAMBROWICA FIRLEY,

Domino & Patrono longè fauentissimo,

P. F.

IMportunâ multorum prouocatus audaciâ, signa moui Illust: & Magnifice Domine: Aequum omninò ratus, Diuam Veritatem quæ tot calumniatorum mordaci vnco quaquauersùs premitur, vltrice dexterâ, à temerario circumuenientium ausu vindicare. Quippè tàm iniquam perpessa sortem, vt quò euidentior est, eò ampliores patiatur insidias, & in altißimo certitudinis locata fastigio, fortius oppugnetur. Et licet illam in profundo demersam puteo quispiam æstimarit, erutam tamen in præaltis montium iugis, aut benè firmatis sitam turribus, vbi ab ho-

ab hostibus immunis seruaretur, multò æquius iudicasset. Eò namq; ventum est malitiosâ temporum iniuriâ, vt nihil prorsus, aut certi, aut veri omnes vnanimi consensu iudicent, sed pro libidine, ex incerto fiat certum, & infallibile in ambiguum, portentosâ quadam metamorphosi commutetur. Varietatem potius regnare dixeris, quàm veritatem, vbi diuersi oppugnantium animi in excidium vnius coniurârunt. Neq; tamen adeò probatas eorum vires censui, quin impugnatæ sæpius, inuictæ tamen veritatis dignitatem, sacrosancto accensus zelo tuear, repellendo potius quàm iniuriosè vim inferendo. Sanè bono omine, cum inchoati certaminis exitum felicissimum, ipsam planè victoriam magnanimus innuat Leopardus. Terreret forsitan Tironem inassueta arena, quæ emerito veterano militi horrorem incuteret, dum audere, aut moliri aliquid aduersus duos, nè Herculi concessum sit: nisi hallucinantem innatum Leopardo robur virtusq; erigeret. Pugnator quippè est, cuius bellatrix dextera nescia, nisi aut ingentes fundere copias, aut principes earum ante currus ducere triumphales. Ratum habet, (quanquam æterno sui dedecore) & cogitur fateri nimio fastu infausta Otthomanica Luna, quæ toties pedibus substrata Leopardi calcabatur. Nusquam iniuria temporum delebit nomen magni herois NICOLAI FIRLEY, *Supremi ac generalis exercituum Præfecti, innumeris clari victorijs, qui præter tot opima trophæa Baiazetem orientis Tyrannum compreßit, pactaq; cum Polonis*

lonis statuere, suâ dexteritate coëgit. Alter planè Pyrrhus, qui primus Polonos, teste Paprotzio, & alijs, velut ille suos Epirotas castrorum edocuit metationem: æternâ nominis sui memoriâ patriæ commodo & ornamento. Nec detrahet quidpiam obliuio PETRO FIRLEO, *terrarum Russiæ Palatino, qui turbatæ, & continuo belli tumultu agitatæ, Prussiæ pacem restituit. Quid de Rauensi Castellano? cui ob singulares animi dotes, tùm summam in dicendo vim & energiam, per excellentiam Tullij nomen communi adagio tributum est. Suffecerint illustria scriptorum de Illustrissimâ* FIRLEORVM *Familiâ testimonia, vobis præ alijs domesticam esse prudentiam, & amplissimam doctrinarum cognitionem, legitimam relinqui hæreditatem. Non abnue Illust: & Magnifice Domine, sapientiam cum fortitudine vobis innatâ æternum amicitiæ nexum contraxisse, quo sociata virtus vestra, in tantum claruit, vt* FIRLEII *non in hoc solum Septemtrione laudabiles, verùm toto terrarum orbe gloriosi habeantur. Vnde etiam non modo in hoc florentissimo regno Sarmatico à nostris Chronographis in cælum efferuntur, sed & apud exteros vix, aut antiquitatum scriptorem, aut oratorem hæc ætas produxit, qui stylum suum non ad enarrandas* FIRLEORVM *laudes conuerterit. Neq; adeò & ipsa Patria ingratam se exhibet: Nullum proinde in Regno amplissimum honorem esse, aut fuisse dixero, qui non* FIRLEORVM *virtuti debitus donaretur, vt iam domesticum illis sit nasci è Senatoribus mori Senatores:*

Per

Per fasces numerantur aui, semperq; renatâ
Nobilitate virent, & prolem fata sequuntur.

Nefas est in nostrâ Poloniâ quenquam nasci FIRLEORVM, *quàm ad curules Trabeas Tiaras, & si quid amplius de honore, illorum est: Qui si virtuti eorum vellet haberi æqualis, ipsa Patria egenam se & inopem ad virtutes* FIRLEORVM *decorandas ingenuè fateretur. Hæc Tuorum maiorum dignitas Illust: & Magnifice Domine, hæc decora & ornamenta. Sed longinquiora fortasse iudicabis, non absunt recentioris famæ, & multorum in memoriâ firmißimè hærentia virtutum domus Tuæ testimonia. Quis condignè pro dignitate sublimes Illustrißimi Tui patrui dotes eloquatur, qui dum proximè Supremo Polonis locatus esset solio, ita generosum geßit animum, vt Regni Primatem, Primumq; Polonorum Principem decuerat. Candor in eo animi eximius, rara alijs modestia, summa liberalitas: Cuius etiam Czemernicensis Ecclesiæ Cleri fundatio æternùm prædicabit munificentiam. In ipso Illustrißimo Parente Tuo tantus amor Patriæ, tantum rei militaris studium enituit, vt ille proprij impensis ærarij, triplicis armaturæ militem ad tuendam Patriam toties exhibuerit. Sed numquid fortes non creantur fortibus? Aut imbellem progenerant aquilæ columbam? In Te vno Illust: & Magnifice Domine, quidquid de laudibus Tuorum erat maiorum,*

iorum, tanquam in compendio intuemur. Quid enim ora omnium in te exteras nationes peragrantem conuertit? Quid Sanctißimum VRBANVM, *qui te vrbanißimè spiritualibus dignatus fauoribus in tantum est admiratus, detinuit? Stupuit purpuratorum Patrum sacer senatus summam pro grauitate modestiam, præter ætatem illam, prudentiam, Martiam animi indolem, dignam hærede tantorum maiorum. Vidimus ipsi dum Te Supremum Regni Tribunal Iudicem habuit summam æquitatem, Patrocinium Pauperum, Munificentiam, Promotionem, vt iam silendum sit ab encomio tantarum virtutum, relinquendo posteritati in quo desudet. Et eâ de causâ laboris mei fructus Tibi Illust: & Magnifice Domine debebantur, immunes nimirum futuri ab omni maleuolorum liuore, qui tanto Patrono sunt potiti. Mouit & singularis beneuolentia, quâ progenitorem meum vnâ mecum prosequi assuesti, quæ certè non leue grati animi requirit testimonium. Quod siquidem pro meâ penuriâ non suppetit, hæc indubitata Philosophica pro tenuitate ingenij mei fabricata, Tibi Illust: & Magnifice Domine dicata volui, persuasus magnarum esse mentium pro animi affectu pensare officia, & munerum leuitate posthabitâ, candorem intueri. Accipe Illust: & Magnifice Domine pro innatâ Tibi humanitate hoc studiorum meorum, vnâ & gratitudinis symbo-*

symbolum, meq; unum velis esse eorum quorum officia noui Tibi gratissima extitisse. Datum Cracouiæ è Musæolo meo, 6. Idus Iulij, Anno Domini 1646.

Illust: & Magnificæ Dominationis Tuæ

Ad obsequia paratissimus,

IOANNES ZIELENIEVVICZ,

Cursus Phil: & I. V. in Florentissimâ Vniuers: Crac: Auditor, m. p.

DE PHILOSOPHIA NATVRALI IN COMMVNI.

1. RErum Naturalium in Vniuersali Consideratarum, primò & per se: in particulari verò, nonnisi secundariò & reflexè, Scientia datur.

2. Philosophia Naturalis cùm secundum se verè ac propriè sit Scientia, quoad omnem sui partem speculatiua, adæquatè in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, diuiditur.

3. Prædicta Philosophiæ Naturalis diuisio est, ceu generis in species.

4. Philosophia Naturalis vt comprehendit Libros Physicorum de Cælo, de Generatione, de Anima, & Paruorum Naturalium, est vna Scientia totalis simplex, ex multis partialibus habitibus nequaquam composita.

DE PHYSICA.

5. PHysica Aristotelis licet in aliquibus verè Scientiæ perfectionem non sit consecuta: Veterum tamen Philosophorum doctrinæ est præferenda.

6. Physicæ tam in suâ latitudine spectatæ, quàm ab Aristotele traditæ, est Obiectum adæquatum formale, non Corpus generabile & Corruptibile; Neque Ens Naturale: neq; Corpus Mobile seu naturale: Neq; Substantia Naturalis vt comprehendit Materialem, & immaterialem finitam; Sed Ens Mobile rectè assignatur.

7. Physica quantum ad omnes suas partes est Scientia secundum speciem athomam vna.

8. Integra Physicæ Cognitio Libris omnibus, quos Aristoteles de Natura reliquit, non continetur.

9. In tradenda hac Scientia, à magis Vniuersalibus ad minus vniuersalia procedendum esse, optimè Philosophus determinauit.

DE PRINCIPIIS RERVM NATVRALIVM IN COMMVNI.

10. PRincipia prima intrinseca rerum Naturalium rectè definiuntur, quod neq; ex alijs principijs, nec ex se inuicem, sed omnia ex ipsis fiant.

11. Prædictâ definitione non solum Principia rerum Corruptibilium in Esse, sed etiam in fieri, explicantur.

12. Principia generationis, seu in fieri, sunt prima Contraria, non ratione Materiæ, sed ratione Priuationis & formæ in materia.

13. Principia componentia rerum naturalium, seu in facto esse, non sunt prima contraria.

14. Principia in fieri sunt tantum tria; Materia scilicet, Forma, & Priuatio. In facto autem Esse, & quoad compositionem, solùm duo sufficiunt: vt potè, Materia & forma.

15. Prædicta prima principia rerum naturalium, in ratione principij vniuocè conueniunt.

DE MATERIA.

16. ENtium mobilium de genere substantiæ necessariò materia prima datur. Ac proinde est entitas realis positiua de genere substantiæ. secundùm essentiam à forma substantiali distincta realiter.

17. Materia prima benè describitur: Esse primum subiectum ex quo aliquid fit, cùm insit, non secundũ accidens.

18. Materia prima secundum se considerata, ita est pura potentia, vt nullum actum includat.

19 Actus Entitatiuus existentialis qui Materiæ primæ ab alijs attribuitur, est chymericus.

20. Materia prima ex sua ratione importat potentiam Metaphysicam.

21. Materia prima secundum se, siue, vt distincta Entitas à forma, peculiarem existentiam partialem non habet, sed per existentiam totius compositi existit.

22. Materia prima nec per potentiam Dei absolutam separatim potest absq; forma substantiali existere.

23. Potentia passiua materiæ primæ ad formas substantiales, est illius essentia, nec realiter, aut formaliter à materia distinguitur.

24. Materia prima verè & propriè naturali appetitu innato, omnes formas substantiales, etiam particulares, sub vnica ratione formali appetit.

25. Materia prima, quoad suam entitatem ab intrinseco est ingenerabilis & incorruptibilis: Per accidens verò, generabilis & corruptibilis est.

DE PRIVATIONE.

26. PRiuatio est principium per se Entis naturalis in fieri: per accidens autem in facto esse.

27. Priuatio æquè ad Constitutionem generationis, siue ipsius fieri, atque materia & forma, concurrit.

28. Priuatio non solum in ratione principij, sed etiam in ratione suæ entitatis à materia realiter distinguitur.

DE FORMA.

29. FOrma naturalis substantialis, quæ simul cum materia essentialiter constituit vnum Ens per se, in rerum natura datur: illaq; rectè definitur. Est actus primus seu substantialis, ex quo fit vnum per se, & non secundum accidens. Vel, Forma est actus primus materiæ primæ.

30. Om-

30. Omnes formæ ſubſtantiales de potentia materiæ educuntur : Anima Rationali excepta, quæ à Deo immediatè per Creationem, producitur.

31. Formæ accidentales, tam naturales, & artificiales, & intentionales; quàm ſupernaturales, de potentia ſubiecti educuntur: Illæ quidem naturali; Hæ autē obedientiali.

32. Formæ Corporum Cæleſtium, & Elementalium, in prima ſui Creatione, ſeu Conſtitutione, de potentia materiæ non ſunt eductæ, ſed ad Creationem totius, Cōcreatæ.

33. Formæ Subſtantiales plures non ſubordinatæ, tam naturaliter, quàm ſupranaturaliter ſimul in eadem materia eſſe, ſeu recipi nequeunt.

34. Vna forma ſubſtantialis, actuare, ſeu informare ſimul plures materias totales & adæquatas, etiam ſupernaturaliter, non poteſt.

35. Sola forma, quæ eſt altera pars eſſentialis Compoſiti ſubſtantialis tota quidditas eiuſdem, non eſt.

DE NATVRA ET ARTE.

36. HÆc naturæ definitio ab Ariſtotele tradita: Natura eſt principium & cauſa motus & quietis eius, in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundùm accidens; eſt optima: illaque non deſcriptiua, ſed eſſentialis.

37. Prædicta naturæ definitio, materiæ & formæ, non tamen Priuationi, propriè conuenit. Eadem definitio Cælo, & Animæ rationali vt rationalis eſt, competit.

38. Ars, & Natura, ſi conſiderentur iuxta attributa vtrique propria, penitus differunt.

39. Ars virtute propriâ opera naturæ, ſeu formam naturalem ſubſtantialem, v. g. florem, aurum, &c. efficere non poteſt: virtute tamen naturali à ſe applicata, poteſt.

DE CAVSIS IN COMMVNI.

40. CAuſæ definitio iſta; Eſt id ad cuius eſſe, aliud ſequitur, præ alijs eſt optima.

41. Cau-

41. Causarum genera sunt tantum quatuor: vt potè, Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis.

42. Causæ diuisio in prædicta quatuor genera, est analoga.

43. Omnis Causa causans, siue in actu secūdo cōsiderata, prior est suo effectu prioritate. Naturæ à Quo, non in Quo.

44. Non omnis Causa est simpliciter nobilior & perfectior suo effectu: est tamen perfectior saltē secundū Quid.

45. Causæ intrinsecæ, si sigillatim conferantur cum suis peculiaribus effectibus, quos quasi partiales præstant in composito, sic perfectiores possunt dici? sed simul sumptæ vt actu causantes, sic cum effectu totali, nempè composito, æquali gaudent perfectione.

46. Causæ diuersi generis sunt sibi inuicem Causæ, non tamen eiusdem generis.

DE CAVSALITATE CAVSARVM.

47. CAusalitas materiæ respectu generationis, siue in fieri, est formæ originatio, eiusdemq; receptio: respectu autem compositi, siue in facto esse, est formæ receptio, & compositi constitutio.

48. Causalitas formæ respectu Materiæ, est informatio, seu actuatio, ac limitatio: respectu autem compositi, est Constitutio eiusdem in certo gradu Entium.

49. Causalitas Exemplaris propriè & per se, est formalis externa.

DE CAVSA EFFICIENTE.

50. CAusæ Efficientis definitio ista: Est id vnde primo incipit motus: est optima, Et solùm Causæ Efficienti, siue agenti per motum, conuenit.

51. Causalitas Causæ Efficientis, in communi est actio essentialiter, & Metaphysicè accepta: Hoc est, prout dicit actum secundum ipsius Agentis, qui est, ipsâ emanatio, seu fieri actiuè, & secundùm denominationem Ab.

52. Causæ Efficientis forma substantialis, est primum seu radicale, non tamen proximum & immediatum principium operandi, seu productionis Substantialis.

53. Forma accidentalis in virtute propriâ, nullo modo est Causa principalis producendi substantiam.

54. De ratione formali Causæ Efficientis instrumentalis est, vt non agat, neq; moueat, nisi in quantum mota à principali Agente.

55. De ratione Causæ instrumentalis est, habere virtutem participatam.

56. Causæ secundæ, indigent aliquâ præuiâ motione Causæ Primæ, quâ applicentur ad agendum actualiter.

57. Concursus præuius, non est assistentia extrinseca, vel moralis motio, aut simpathia, sed realis & vera Causalitas in Causa relicta.

58. Causa prima, vt potè, Deus gloriosus, ad effectus omnes Causarum secundarum actu & immediatè concurrit, non solùm immediatione virtutis, sed etiam suppositi.

DE CAVSA FINALI.

59. Finis est vera & realis Causa Physica: Recteque definitur: Est id Cuius gratia aliquid fit.

60. Finis diuisio in finem Cuius, & finem Cui, non est in membra completa, sed incompleta: Seu in duas rationes incompletas, ex quibus vnus idemque finis Completus & totalis componitur.

61. Apprehensio, siue cognitio, non est ratio formalis finalizandi, sed Conditio requisita ad finem, & per modum applicationis, & per modum existentiæ.

62 Sola bonitas realis apprehensa in fine, est ratio formalis motiua ipsius, ac Causalitas eius in actu primo.

63. Causalitas finis respectu Agentis, puta voluntatis, est mouere voluntatem alliciendo & attrahendo eandem ad sui amorem: respectu autem mediorum, est conferre medijs bonitatem, & amabilitatem,

64. Na-

64. Natura agit propter finem: ſed non propter vnum, neque eodem modo operatur.

65. Natura producens monſtra, materialiter, ſed non formaliter illa intendit.

DE FORTVNA, CASV, ET FATO.

66. FOrtuna & Caſus in rebus dantur: Suntque Cauſæ Efficientes per accidens.

67. Fortunæ effectus ſunt præter intentionem Agentis proximi.

68. Fatum, vt importat ordinem, & diſpoſitionem Cauſarum Creatarum, in rebus datur.

69. Fatum non eſt Cauſa, ſed aliquid Cauſæ.

DE MOTV.

70. DEfinitio iſta Motus eſt actus Entis in potentiâ prout in potentiâ, eſt legitima & ſufficiens. Et non ſolum motui ſucceſſiuo, ſed etiam mutationibus inſtantaneis conuenit.

71. Motus realiter modaliter, ſeu formaliter à termino ad quem, diſtinguitur.

72. Motus eſt in mobili tanquam in proprio ſubiecto.

73. Actio formaliter tranſiens eſt ſubiectiuè in paſſo, ſiue in effectu quem producit.

74. Ad Subſtantiam nullus eſt per ſe Motus ſtrictè ſumptus, vt diſtinguitur à mutatione: Eſt tamen vera & legitima mutatio.

75. Ad Quantitatem, Motus augmentationis: Ad Qualitatem, Motus alterationis: Ad Vbi Motus localis per ſe datur.

76. Vnitas ſpecifica Motus, non ex termino à Quo, ſed ex termino ad Quem formaliter ſumpto, deſumitur.

77. Ad

77. Ad vnitatem numericam Motus succeſſiui, vnitas mobilis, termini, ac temporis ſufficit.

78. Ad vnitatem numericam Motus formaliter ſumpti, vnitas Motoris, ſeu Cauſæ Efficientis: Et vnitas loci, ſeu ſpatij, non requiritur.

79. Mutationum inſtantanearum ſubſtantialium Contrarietas, non ex Contrarietate terminorum ad Quos, ſed ex acceſſu & receſſu reſpectu eiuſdem termini, ſumitur.

80. Motuum ſucceſſiuorum Contrarietas formaliter & per ſe loquendo, ex Contrarietate terminorum ad Quos: Concomitanter verò ex terminis à Quibus, deſumitur.

81. Omnis Motus non ſolùm Motui, ſed etiam Quieti, contrarius eſt.

82. Quies in termino à Quo, contraria eſt Motui vt incipit ab illo: Quies tamen in termino ad Quem, non contrariatur Motui, vt in ipſum tendit.

DE INFINITO.

83. INfinitum naturaliter actu dari, repugnat: in potentia tamē, ſiue Syncathegorematicum de facto datur.

84. In infinito ſecundum diuiſionem, qualibet minima quantitate data, alia minor dari poteſt: In infinito autem ſecundum additionem, data maxima quantitate, vt eſt vltimæ ſphæræ Cœleſtis maior dari non poteſt.

85. Infinitum dari actu in Magnitudine, etiam de potentia Dei abſoluta, repugnat.

86. Neq; Infinitum actu multitudine, aut ſecundum intenſionem virtutis, per potentiam ſupernaturalem, poſſe dari, tenemus.

DE LOCO.

87. LOcus neque eſt Materia, neque forma, neque ſpatium intra Concauam ſuperficiem Corporis ambientis contentum: Neque relatio continentis ad locatum: Nec vir-

Nec virtus, seu qualitas conseruatiua: Nec ipsum vbi Circumscriptiuum.

88. Locus proprius est superficies vltima Concaua Corporis continentis immobilis.

89. Loci immobilitas quæ illi essentialis est, ex distantiâ superficiei ad polos & centrum vniuersi: Siue, ex superficie formaliter sumptâ, est desumenda.

90. Esse per se in loco Circumscriptiuè, omnibus, & solis Corporibus competit.

91. Vltimum Cœlum (siue sit Primum Mobile, vt Antiqui existimarunt: siue suprà hoc detur immobile, à Christianis Doctoribus cognitum, & ob luciditatem, Empireum vocatum) est in loco solum, ratione suarum partium, quatenus vna continuatur alteri.

92. Duo Corpora quanta naturaliter nō possunt in eodē loco penetrari: benè tamen supernaturaliter.

93. Vnum & idem Corpus esse simul in duobus locis circūscriptiuè, etiam virtute supernaturali, est impossibile.

DE VACVO.

94. VAcuum priuatiuum, à Corporibus separatū, siue ijsdem coniunctum, naturaliter non potest dari.

95. Vacuum virtute incorporeâ finitâ, non potest dari: benè tamen infinitâ.

96. Vacuo dato, per illud corpus potest moueri, saltem supernaturaliter.

97. Motus localis qui fieret in Vacuo, in tempore, non in instanti, esset.

DE TEMPORE.

98. TEmpus formaliter est Ens reale, seu, Esse extra animam habet.

99. Tempus non est motus primi mobilis: nec substan-

tia ſphæræ Cæleſtis : ſed eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius.

100. In tempore ſecundum aliquid poteſt dari minimum, ſecundum aliquid nequaquam ; Tempus dicitur eſſe multum & paucum : dicitur quoque, longum & breue.

101. Tardum & velox ſunt proprietates motus, quatenus tempori ſubeſt.

102. Inter tempus & motum licet non ſit diſtinctio realis maxima, eſt tamen minor, quæ formalis ex natura rei vocatur.

103. Inſtans extrinſecum eſt vnum & idem re in toto tempore: Inſtans verò intrinſecum eſt multiplex ratione.

104. Tempus propriè, completè, ac formaliter ſumptum, tantum eſt vnum numero ſubiectiuè, in primo mobili exiſtens.

DE CONTINVO.

105. NVllum Continuum eſt compoſitum ex indiuiſibilibus, ſed ex partibus in infinitum Syncathegorematicè diuiſibilibus.

106. In quolibet Continuo indiuiſibilia actu, tàm continuantia, quàm terminatiua dantur.

107. Res permanentes, vt ſunt ſubſtantiæ materiales quæ ad corruptionem aliarum generantur, in primâ ſui productione, per primum Sui eſſe incipiunt : & extrinſecè per primum non eſſe, deſinunt.

108. Subſtantiæ immateriales conuenienter ad ſuam naturam per primum Sui eſſe incipiunt : Et ſi annihilentur per vltimum Sui eſſe, deſinent.

109. Res Succeſſiuæ, vt ſunt, Motus & Tempus, per vltimum Non eſſe incipiunt : & per primum Non eſſe deſinunt Siue, in inſtantibus extrinſecis incipiunt, atq; deſinũt.

110. Indiuiſibilia quæcunque Succeſſiuorum : vt ſunt, Temporis inſtantia : Motus autem, mutata eſſe, per primum Sui

mum Sui esse incipiunt, & per vltimum Sui esse desinunt. Siue in instantibus extrinsecis incipiunt & desinunt.

111. Corpora naturalia ex vi suæ naturæ ad maximum Quod sic, determinata sunt.

112. Corpora non viuentia, ex vi suæ generationis & formæ ad minimum Quod sic, sunt determinata : seu terminum intrinsecum paruitatis habent.

DE PRIMO MOTORE.

113. OMne quod mouetur, ab alio moueri optimè Philosophus demonstrauit.

114. Primum motorem, qui est vnus & simpliciter immobilis : perfectissimus : omnis compositionis expers : Infinitus : Seipsum per se intelligens : Seipso summè beatus, exinde rectè intulit.

115. Idem non potest simul esse mouens & mobile respectu eiusdem.

116. Agens naturale non potest quidquam agere in passum distans, nisi prius in propinquum agat.

117. Agens remotum licet non sit immediatum passo immediatione suppositi, necessariò tamen per suam virtutem ei immediatum esse debet.

118. Grauia & leuia per se à generante tanquam à principio vt Quod principali : per accidens verò à remouente prohibens, mouentur.

119. Causa motus proiectorum, siue motus violenti, principalis est proijciens; instrumentalis verò qualitas, còrpori proiecto impressa.

120. Aër, in causando motu proiectorum, concomitanter se habet : quatenus scilicet subito locum occupat, quem corpus proiectum deserit.

DE MVNDI ET MOTVS ÆTERNITATE.

121. MVndus nec quoad se totum, nec quoad vllam sui partem, factus, creatus, aut productus ab æterno fuit.

122. Mundi productio quoad res permanentes ab æterno esse potuit.

123. Nulla res successiua, vt Motus & Tempus, vel alia quæ successiuè acquiritur, ab æterno esse potuit.

124. Creatio, vel productio rerum ex nihilo, Aristoteli fueritnè cognita, problema esto.

DE CÆLO.

125. CÆlum materiâ & formâ constat: Estque corpus simplex à quatuor Elementis distinctum.

126, Materia corporum Cælestium & sublunarium specie differt.

127. Materia prima sublunarium omnium secundum se spectata, licet sit vna numero negatiuè, non tamen est vna specie, vnitate negatiuâ.

128. Cælum non est animatum vllâ animâ informante.

129. Cælum ex intrinsecâ suâ naturâ est incorruptibile.

130. Cælum quoad omnes partes est naturæ consistentis & solidæ.

131. Cæli mobiles sunt numero vndecim.

132. Præter vndecim Cælos mobiles, dari Cælum immobile supremum, non est impossibile.

133. Cæli figurâ sphæricâ constant.

134. Astra omnia tam fixa, quàm errantia: tum à se inuicem, tum à suis orbibus in quibus deferuntur, specie distinguuntur.

135. Cælestes Orbes quantò superiores, tantò naturæ nobilioris sunt.

136. Omnia astra tam fixa, quàm erratica, ex naturâ suâ aliquid lucis habent.

137. Lux corporum cælestium & sublunarium est vna secundum speciem.

138. Cæ-

138. Cælum & Astra per se ac directè in corpora sublunaria agunt.

139. Cælestia corpora vllam actionem directam in Animam intellectiuam non habent: benè tamen indirectam.

140. Ex Astris, & Cæli constellationibus, hominis inclinationes in communi præsciri coniecturaliter possunt.

141. Motus Circularis cuique Cælo proprius, naturaliter conuenit.

142. Motus Circularis primi mobilis, quo Cæli inferiores ab Ortu in Occasum rapiuntur, quatenus in Cælis inferioribus recipitur, est naturalis in ordine ad bonum vniuersi. In ordine tamen ad singulos Orbes Cælestes sic se habet præter naturam, non tamen contra naturam.

143. Motu Cæli cessante, omnes motus, & actiones sublunares, cessare est necesse.

DE GENERATIONE SVBSTANTIALI, ET CORRVPTIONE EI OPPOSITA.

144. OMnis generatio creata Physica, intrinsecè & essentialiter est species motus.

145. Generatio prout habet esse à parte rei, nexu perpetuo coniunctam præuiam alterationem obtinet.

146. Hæc cum alteratione præuiâ vnã actionẽ importat.

147. Generationis terminus vt Quod, est compositum, vt Quo, forma compositi.

148. Corruptio est species motus Generationi opposita.

149. Generatio constituit speciem.

150. In corruptione substantiali fit resolutio in nudam materiam primam.

151. Accidentium corporalium; materia prima non est immediatum subiectum inhæsionis, siue subiectũ vt Quod.

152. Eadem numero accidentia in composito genito & corrupto, non manent.

DE ALTERATIONE.

153. ALteratio sumpta propriè, secundum se est motus continuus.

154. Alteratio in ratione motus, est vnus: includit verò duas mutationes, alteram corruptiuam, alterā acquisitiuā.

155. Alteratio siue motus ad Qualitatem, in simplicem Alterationē, Intensionē, & remissionē adæquatè diuiditur.

156. Alterationis diuisio prædicta in tria membra, non est Generis in species, sed eiusdem speciei in diuersa Esse.

157. Qualitatum intensio, nequaquam fit aduentu nouæ formæ perfectioris; destructâ imperfectiore, quæ est remissa qualitas; nec secundùm additionem graduum qualitatis ad qualitatem.

158. Qualitatis intensio ex comparatione ad subiectum, siue quatenus esse habet in subiecto, per radicationem seu communicationem maiorem in subiecto, fit.

159. Formæ substantiales omnes, tum accidentales, in abstracto consideratæ: Et quæ sunt de genere Quantitatis, intensionis capaces non sunt.

DE NVTRITIONE ET AVGMENTATIONE.

160. AVgmentatio est motus continuus, à Nutritione & alijs motibus, distinctus.

161. Augmentatio seu Accretio, Nutritioni, vt dicit conuersionem maioris alimenti in substantiam aliti, perpetuò coniungitur.

162. Augmentatio propriè dicta, quæ fit ab intrinseco, per nutritionem, & calorem naturalem, resoluentem alimentum in partes dissimilares rei nutritæ, solis viuentibus conuenit.

163. Viuens siue perfectum, siue imperfectum, toto augmentationis tempore; idem numero permanet secūdum formam, non tamen secundum materiam. 164. Vi-

164. Viuens secundum omnes sui partes, aliquotas seu designatas augetur.

DE ACTIONE, REACTIONE, REPASSIONE, ET MIXTIONE.

165. Idem in seipsum actione reflexa potest agere. Vel quod idem est, Idem potest esse Agens & Patiens per accidens.

166. Simile formaliter loquendo, in passum omninò sibi simile, non potest agere : sed aliquo modo à principio esse dissimile, debet.

167. Omne Agens Physicum communicans in materiâ cum passo, semper ab eo in agendo repatitur.

168. Agens Physicum in quantum est in potentiâ passiuâ ad formam contrariam quæ est in passo, recipiendam, in tantum, & ex eo repatitur.

169. Mixtio propriè dicta, non solùm est possibilis, verum etiam de facto datur.

170. Mixtionis ista definitio : Est miscibilium alteratorum vnio : est optima.

DE ELEMENTIS ET QVALITATIBVS PRIMIS.

171. ELementa sunt tantum Quatuor : vt potè, Ignis, Aër, Aqua, & Terra.

172. Elemento cuilibet vna qualitas in summo, alia in gradu excellenti, conuenit.

173. Ignis, summè calidus, & in gradu excellẽti siccus est.

174. Aër, summè humidus, & excellenter calidus, est.

175. Aqua, sũmè frigida, & in gradu excellẽti humida est.

176. Terra, summè sicca, & excellenter frigida est.

177. In Elementis præter qualitates primas, formæ substantiales dantur.

178. Quodlibet Elementum ex quolibet immediatè potest generari.

179. Ex

179. Ex duobus Elementis symbolis ad inuicem corruptis, tertiũ generari nõ potest: benè tamẽ ex dissymbolis.

180. Inter elementa symbola, per se, & ex naturâ rei loquendo, generatio facilior est, quàm inter dissymbola.

181. Qualitates Elementorum symbolæ, eiusdem speciei & naturæ sunt.

182. Elementorum formæ substantiales in mixto actu non manent.

183. Elementa in mixto, non formaliter, aut virtualiter substantialiter, sed virtualiter accidentaliter, manent.

184. In Elementorum, siue qualitatum temperie quæ in mixto est, vnum aliquod ex elementis, secundum suas qualitates, necesse est prædominium habere.

DE ANIMA IN COMMVNI.

185. Anima est actus substantialis primus, prioritate naturæ, & perfectionis.

186. Animæ definitio ista: Est actus primus corporis Physici organici potentiâ vitam habentis, est optima: illaque essentialis.

187. Animæ prædicta definitio, Animæ humanæ quatenus intellectiua: siue vt est principium intelligendi, conuenit.

188. Hæc definitio secunda: Anima est id, quo primò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus, est completa; Et per illam, prior Animæ definitio demonstratur, idque demonstratione à posteriori, & per effectus: Ac proinde non essentialis est, sed descriptiua.

189. Definitio constans illis particulis copulatim sumptis, Anima est, quò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò; soli Animæ rationali conuenit.

190. Animæ diuisio in Vegetatiuam, Sensitiuam, & Intellectiuam, recta est, & vniuoca, seu Generis in Species.

191. Anima Vegetatiua in Sensitiuâ, & vtraq; in intellectiua

ctiua formaliter & eminenter, tanquàm imperfectum in perfecto, continetur.

192. Quæuis Anima, vt est totum essentiale, tota est in toto corpore, & tota in partibus: Vt autem totum virtuale importat, nequaquam.

193. Anima intellectiua secundùm suam entitatem indiuidualem, seu rationem athomam, totalitate essentiæ est tota in toto, & in quâuis parte corporis.

194. Anima intellectiua est indiuisibilis.

195. Animæ animalium perfectorum indiuisibiles sunt: Animalium autem imperfectorum & Plantarum, diuisibiles: Siue totæ sunt in toto, & secundum partem in parte.

196. Sanguis naturalis, non autem nutrimentalis, & cæteri humores fluidi; similiter capilli, dentes, vngues, eadem animâ, quâ totum animal in quo sunt, informantur.

DE POTENTIIS ANIMÆ IN COMMVNI.

197. POtentiæ Animæ, propria ipsius accidentia sunt.

198. Potentiæ animæ, siue vegetatiuæ, siue sensitiuæ, siue intellectiuæ, realiter tum ab ipsa substantiâ animæ, tum inter se, distinguuntur.

199. Potentiæ animæ vnitatē atque distinctionem, siue genericam, siue specificam, ex actibus & obiectis accipiunt.

200. Prædicta vnitas atque distinctio potentiarum animæ, ex obiectis formalibus non materialibus est accipiēda.

201. Potentiarum Animæ genera sunt quinque: scilicet potentia Vegetatiua, Sensitiua, Appetitiua, loco Motiua, & Intellectiua.

202 Inter prædicta potentiarum animæ genera, Ordo & perfectionis & generationis, datur.

DE ANIMA VEGETATIVA EIVSQVE POTENTIIS.

203. ANima Vegetatiua, quæ secundùm rationem communis-

munissimam est principium nutriendi, augendi, & generandi vitaliter; adæquatè per Nutritiuam, Augmentatiuam, & Generatiuam, tanquàm potentias realiter ad inuicem distinctas, diuiditur.

204. Potentia Nutritiua non est calor natiuus, sed qualitas nobilior ac eminentior primis qualitatibus, illarumque temperamento.

205. Potentia Generatiua est actus naturalissimus viuentis, vt viuens est.

DE ANIMA SENSITIVA ET POTENTIIS EIVS IN COMMVNI.

206. SEnsus est animi facultas, recipiendi species sensibiles: hoc est, imagines & similitudines obiectorum sine materiâ: id est, modo quodam incorporeo, & spiritali.

207. Sensus respectu specierum quibus vice obiectorum actuatur, atque perficitur, potentia passiua est.

208. Potentia sensitiua exterior, rectè in Visiuam, Auditiuam, Olfactiuam, Gustantem, & Tactiuam, diuiditur.

209. Sensus Externi ad eliciendas suas Sensationes, medio indigent.

210. Sensibile vehemens ratione actionis realis, seu alteratiuæ, per se directè: ratione autem actionis intentionalis præcisè, per accidens, Organum Sensus lædit.

211. Sensus exterior circà proprium sensibile per se nunquàm decipitur.

DE SENSV VISVS.

212. SEnsus Visus dignitate atque perfectione cæteros sensus externos antecedit.

213. Lux est obiectum formale adæquatum vt Quo, Visus. Lucidum autem, est obiectum formale vt Quod.

214. Color inter obiecta visibilia participantia rationē visibilis

visibilis obiecti formalis vt Quo, est obiectum principale.

215. Color secundum suam entitatem rectè definitur per hoc, quod sit extremitas perspicui in corpore terminato.

216. Lux est qualitas realis, à Colore vero realiter seu specificè distincta.

217. Medium visus, est quodcunque corpus diaphanum, illuminatum, seu perspicuum: siue illud sit Aër, siue Crystallus, siue vitrum.

218 Lux extrinseca ex parte medij, est dispositio ad immutandum diaphanum necessariò requisita.

219. Visus organum externum, est pupilla, seu humor Crystallinus: internum autem sunt nerui optici, quatenus continuantur.

220. Visio fit per intus susceptionem Specierum obiecti sensibilis; non verò per emissionem radiorum visualium, seu spirituum lucidorum ab oculis.

DE SENSV AVDITVS.

221. AVditus obiectum formale est Sonus.

222. Sonus est qualitas sensibilis ex forti percussione, seu collisione corporum sonantiũ è medij resiliẽtiâ resultans.

223. Sonus subiectum est medium, Aër videlicet collisus: non verò corpora sonantia, siue se percutientia.

224. Medium, Auditus, per quod defertur ipse Sonus, est solus Aër.

225. Sonus secundum esse intentionale in aëre interno recipitur: nec est necesse, vt secundum esse reale vsque ad aures deferatur.

226. Sonus quoad esse reale per aliquam medij partem, seu distantiam diffunditur, & in eadem recipitur.

227. Sonus statim atque producitur secundum esse reale, etiam eius species intentionales emittuntur: Ac proinde falsum est, Sonum vbi desinit secundum esse reale, illic secundum esse intentionale incipere.

228. Auditus Organum, & subiectum, vt primò recepti-uum specierum, est aër interior, immobilis, & animatus: seu Substantia spirituosa & tenuis: Vt autem elicitiuum auditionis communicata sibi specie, est neruus auditorius.

DE SENSV ODORATVS.

229. ODoratus obiectum formale est Odor.

230. Odor est qualitas secunda ex certo temperamento primarum qualitatum resultans, siccitate prædominante, seu excedente, & calore humidum decoquente.

231. Odoratus medium est aer, & aqua, non vt sunt corpora perspicua, sed in quantùm habent vim diluendæ & diffundendæ sapidæ siccitatis.

232. Odor, quoad esse reale, per aliquod medij spatium diffunditur; sed quoad esse intentionale, ad Sensum Olfactus peruenit.

233. Odoratus Organum, est pars interna narium superior, & propinquior Cerebro: scilicet Caruncula, seu processus, vt neruis illis à quibus pendent, vniuntur.

DE SENSV GVSTVS.

234. GVstus obiectum adæquatum, est Sapor.

235. Sapor est passio facta à sicco terrestri in humido aqueo, cum additione calidi, quæ Gustum secundum potentiam alterando, in actum reducit.

236. Gustus Organum, est neruus mollior per totam linguam expansus, & maximè in linguæ cuspide residens.

237. Gustus medium internum, est ipsa Caro linguæ, neruo sapores sentienti superposita.

DE SENSV TACTVS.

238. TActus est sensus exterior, secundum speciem athomam vnus.

239. Tactus obiectum adæquatum sunt qualitates tangibiles, siue primæ, siue secundæ.

240. Ta-

240. Tactus qualitates obiecti tangibilis excessiuas solùm percipit.

241. Tactus Organum, sunt nerui Carne inuoluti, à partibus spinæ exorientes, ac per totum corpus diffusi.

242. Tactus in homine, maximè in pulpis digitorũ viget.

243. Tactus medium, per se est internum, videlicet Caro.

DE SENSIBVS INTERNIS.

244. SEnsus interiores rectè in Sensum Communem, Phantasiam, seu Imaginatiuam, Æstimatiuam, & Memoriam diuiduntur.

245. Sensus communis qui est potentia interior, à sensibus externis realiter distincta, reuerâ datur ad percipienda, & diiudicanda illorum obiecta.

246. Sensus communis, tanquàm principium, & finis Sensuum externorum se habet.

247. Illius Organum proximum est prima Cerebri cellula, in anteriori parte capitis, in quâ omnes nerui sensibus externis in organa deputati, radicantur.

248. Sensus Communis, est potentia à Phantasia: Et hæc ab Æstimatiuâ: Et ista à Memoratiuâ, realiter distincta.

249. Sensus Communis in absentiâ: Phantasia, etiam in absentiâ Sensuum externorum obiecta percipit.

250. Æstimatiua potentia, species obiectorum insensatas, vt præsentes: Memoratiua verò, vt absentes apprehendit, & retinet.

DE ANIMA INTELLECTIVA.

251. ANima Rationalis entitatiuè est forma spiritualis, & per se subsistens, nec dependens à materiâ.

252. Animæ Rationalis incorruptibilitas ratione Philosophicâ demonstrabilis est: illamq; incorruptibilem esse, rationibus Philosophicis conuincitur.

253. Animæ Rationalis incorruptibilitas in doctrinâ Aristotelis, dubia non est.

254. Intellectus Animæ rationalis Obiectum adæquatū terminatiuum: siue adæquatum extensiuè, est Ens in suâ latitudine acceptum. Obiectum autem motiuum, siue Obiectum terminatiuum proportionatum & connaturale, pro statu coniunctionis intellectus Animæ rationalis, est quidditas rei sensibilis.

255. In Animâ Rationali, præter intellectum Possibilē, intellectus Agens ab illo realiter distinctus, datur.

256. Intellectus tam Agens, quàm Possibilis, sunt potentiæ ipsi Animæ rationali inhærentes.

257. MEMORIA propriè ac formaliter sumpta, in parte Animæ rationalis intellectiuâ, non datur, sed solum in parte Sensitiuâ est.

258. Memoria quatenus solam conseruationem specierum importat, in parte intellectiuâ est: Et realiter cum intellectu Possibili identificatur.

259. SYNDERESIS, tum Speculatiuum & Practicum: potentias ab intellectu Possibili distinctas, non important.

260. Nec intellectus & Ratio: seu Intelligere & ratiocinari: nec Conscientia, sunt potentiæ ab intellectu Possibili distinctæ: sed actus illius.

261. Synderesis est motiuum quoddam & instigatiuum ad bonum: Et murmur quod in Corde de malo peracto, vel peragendo sentitur. Vel, Est habitus naturalis principiorum actiones practicè regulantium.

262. Conscientia est applicatio regulæ & principiorum illorum ad operandum.

DE INTELLECTIONE.

264. INtellectionis principium, sunt species intelligibiles impressæ in intellectu Possibili, concursu phantasmatis productæ ab intellectu Agente.

265. Species intelligibilis impressa est imago, siue similitudo repræsentatiua obiecti ab extrà existentis.

266. Spe-

266. Species intelligibilis impressa, cum intellectu eâ ratione ad intellectionem concurrunt, quatenus vnum simplex principium intellectionis, constituunt.

267. Ex intellectu, & specie intelligibili impressâ, tanquàm Causis efficientibus partialibus, alterâ principali, alterâ minùs principali, vnum intelligendi principium Coalescere, falsum est.

268. Intellectio hominis, Cognitionis expressæ, quam vocamus Verbum, seu Conceptum, siue speciem expressam, est productiua.

269. Species expressa, est similitudo quædam per modum imaginis, & per modum termini Cogniti ipsum obiectum in actu secundo repræsentans.

270. Intellectio & Verbum, siue Actus intelligendi ac dicendi in homine, realiter distinguuntur.

DE APPETITV ET LOCO MOTIVO.

271. Appetitus est potentia realiter ab alijs potentijs cognoscentibus & vegetatiuis distincta.

272. Appetitus elicitus, in Communi sumptus optimè in Sensitiuum, qui aliàs dicitur Animalis: Et intellectiuum, qui est Voluntas, diuiditur.

273. Appetitus sensitiuus, siue sensualitas, in irascibilem & concupiscibilē, potentias realiter distinctas, subdiuiditur.

274. Irascibilis potentia, in bonum ab Æstimatiuâ præsentatum: siue ad impugnanda conuenientibus nociua, tendit.

275. Concupiscibilis potentia in bonum à Sensibus exterioribus & Communi præsentatum: siue ad prosequenda Conuenientia secundum Sensum, inclinat.

258. Appetitus intellectiuus, siue Voluntas, licet quoad specificationem actus, ab obiecto in communi necessitetur, attamen quoad exercitium actus vniuersaliter est libera. Vel quod idem sonat: Est libera non libertate Contrarietatis, sed Contradictionis.

259. Vo-

259. Voluntas in ordine ad bona particularia, libertatem & Exercitij & ſpecificationis habet.

260. Voluntas alijs actibus in finem : alijs in media fertur.

261. Potentiæ, Cognoſcens & Appetitiua, vnum principium motus localis conſtituunt.

262. Tàm Intellectus, quàm Voluntas in hominibus, ad mouendas potentias quoad exercitium, concurrit. Omnes ſibi ſubordinatas applicando ad operandum.



Sub felicibus auſpicijs

Magnifici & Clariſsimi Domini,

D. LAVRENTII SMIESZKOWIC,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris, Almæ Vniuerſitatis Cracouienſis Procancellarij, & RECTORIS Vigilantiſsimi.